

De duabus Taciti historiarum paragraphis.

Historiarum libri III capite 63 iisque quae secuntur Tacitus Vitellium narrat nuntiis Primi ac Vari commotum statuuisse iam sibi positis armis ad Vespasiani fidem confugiendum esse. Sed cum ipse sperare desitisset, ita ut Vespasianus incruentam urbem intraturus videretur, tamen qui maxime eius rebus studerent, poposcisse ac flagitasse, ne nimis Vespasiano crederet. Quod Tacitus c. 66 hisce verbis dixisse traditur: *ceterum ut quisque Vitellio fidus, ita pacem et condiciones abnuebant, discrimen ac dedecus ostentantes, et fidem in libidine victoris. nec tantam Vespasiano superbiam, ut privatum Vitellium pateretur; ne victos quidem laturos: ita periculum ex misericordia.* Quae pluribus sic explicari possunt: deditiois fides in libidine est victoris: si volet parcere Vitellio, parcat, sin nolet, neglecta fide occidet. Atqui Vespasianus tam superbus adversariorum contemptor non est, ut Vitellium privatum esse hominem patiatur —: ex quo efficitur, quae primo videatur misericordia, eam gignere periculum. Haec omnia optime cohaerent, nisi interposita illa essent *ne victos quidem laturos*. Sed quam interpretandi viam editores inierint videamus Orellius quidem haec dicit: ac si Vespasianus adversario parcere vellet, fore ut ipsi Vitelliani misericordia instigati a tam indigna condicione per mortem eum liberare cuperent, vel ipsi eum occidentes vel etiam novas turbas excitantes, quibus Vespasianus ad eum necandum etiam invitus adigeretur. Misericordiam enim intellegendam esse Vitellianorum. Similiter Heraeus Vitellianos victos non laturos ducem privatum, sed eius gratia bellum de integro instauraturos ait,

nisi quod de misericordia reticet. Cui explicationi plura habere quae obiciam. Ipsa enim verba aut quamquam victi sint, non esse laturos Vitellium privatum significant, aut ne tum quidem cum victi essent. Prior sententia locum non habet: nam Vitellianos, priusquam depugnatum sit, victos se negare, ex iis quae paullo infra legimus apparet: 'moriendum *victis*, moriendum *deditis*'. Altera autem quae verborum esse potest sententia hic quidem inepta videtur. Nam ut recte Vespasiani cum Vitellianorum ratione compararetur, sic fere ni fallor Tacito scribendum erat: ipsos tamen (etiamsi vellet Vespasianus) Vitellium non laturos ex deditioe privatum: immo ne victos quidem. Sed id ipsum scriptum esse faciamus, vel ea quae traduntur verba idem valere, num periculum erat, ne Vespasianus proelio superatum Vitellium privatum esse sineret, quem vix deditum vellet? Immo vero haud ignorabant, victis sibi moriendum esse, salutem et pecuniam et secreta Campaniae Vitellio non concedi, nisi se ac liberos suos ultro Vespasiano dedidisset (v. c. 63). Denique qualis illa amicorum misericordia est? occident scilicet pudore commoti ducem suum aut ipsi aut Vespasianum incitabunt. Sed ne vitam perderet, dediturus se erat Vitellius: quam condicionem si ipse aegre tulisset, necare eum misericordiae fuit, cupide arripientem non item. Iam quae explanari non queant, videamus qui sint emendanda. Cur igitur Vespasianus tam magnanimus negatur, ut privatum Vitellium toleret? quia haud dubie is est, qui ne profligato quidem hosti parcat. Atque hanc ipsam verborum puto emendationem, scripsisse enim Tacitus videtur: *nec tantam Vespasiano superbiam, ut privatum Vitellium pateretur, ne victos quidem laturo: ita periculum ea misericordia*. I. e. Vespasianus si acie vicisset, tamen Vitellium occideret; nedum privato homini haud parvae etiamtum auctoritatis parcat. Suspecta igitur Vespasiani misericordia. De usu participii futuri temporis confer Hist. I 75: ut bello impares, in pace nihil *amisuri*, II 97: prosperis Vitellii rebus *certaturi* ad obsequium, adversam eius fortunam ex aequo detrectabant, III 54: si liceret, vere *narraturi*, quia vetabantur, atrociora vulgaverant, 56: peritissimis centurionum dissentientibus et, si consulerentur, vera *dicenturis*, V 11: rebus secundis longius *ausuri* et, si pellerentur, parato perfugio. Ac ne quis numerum pluralem qui est victos reprehendat, ego quoque ante hos septem fere annos Mauricio Hauptio probante scribendum censueram 'ne *victum* quidem laturo': qua concinnitate Taciti orationem facile carere postea cognovi ex Ann. II 10, ubi Flavius Arminio fratri in colloquio 'magnitudinem Romanam, opes Caesaris et *victis* graves poenas, in deditioem *venienti* paratam clementiam' proposuisse narratur.

Libri IV capite 12 Tacitus postquam de finibus Batavorum dixit, pauca de condicione eorum addit: *nec opibus Romanis, societate validiorum, adriti viros tantum armaque imperio ministrant*. Hic plura offensionem sunt. Primum enim Batavi, qui viros armaque imperio ministrant, cur dicantur non adriti, non satis apparet. Deinde quod non tributis vel simili re, sed opibus Romanis

non adritos Batavos legimus, is nonne eo molestior sermo est, quo dilucidior Tacitus alibi utitur, velut Hist. V 25: sibi non tributa sed *virtutem et viros* iudici, Germ. 29: *exempti oneribus et collationibus et tantum in usum procliorum* sepositi, velut tela atque arma, bellis reservantur. Denique verbis quae sunt societate validiorum ea quae antecedunt opibus Romanis apte definiiri nescio an nemo pluribus exemplis possit comprobare. Quae cum ita sint, sic totum enuntiatum scripserim: *nec opibus (rarum in societate validiorum) adritis viros tantum armaque imperii ministrant*. Quodsi cui nimia verborum mutatio displicuerit, sententiam tamen non iam Tacito indignam concedet. Dicuntur enim Romani viros armaque Batavis imperasse, opibus eorum abstinuisse. Quae recte coniunguntur. Confer Ann. XII 37: habui equos *viros, arma opes*, Germ. c. 44: Suionum hinc civitates, sitae in Oceanum, praeter *viros armaque* classibus valent. — est apud illos et *opibus* honos, Hist. II 32: publicas privatasque *opes* et immensam pecuniam, inter civiles discordias *ferro* validiorem. Bene autem attritas vocari opes discimus ex Hist. I 10: *attritis opibus*, lubrico statu (cf. II 69: ut largitionibus *adfectae* iam imperii *opes* sufficerent, 56: iam pridem *adritis* Italiae *rebus*). Restat, ut verba quae sunt rarum in societate validiorum non praeter usum Taciti media nos interposuisse exemplis demonstramus: quae exempla, cum enuntiatum interclusum (quam *παρένθεσιν* Graeci appellant) aut ipsum per se sententiam efficere, aut alterius sententiae tamquam appositum esse possit, utriusque generis erunt. Hist. I 89: tum legiones classesque et *quod raro alias* praetorianus urbanusque miles in aciem deducti, Germ. 30: *quodque rarissimum* nec nisi Romanae disciplinae concessum, plus reponere in duce quam in exercitu, Agr. c. 9: nec illi, *quod est rarissimum*, aut facilitas auctoritatem aut severitas amorem deminuit. — Ann. I 39: ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, *rarum etiam inter hostes*, legatus populi Romani Romanis in castris sanguine suo altaria deum commaculavisset, 56: nam (*rarum illi caelo*) siccitate et annibus modicis inoffensum iter properaverat, VI 10: per idem tempus L. Piso pontifex, *rarum in tanta claritudine*, fato obiit, XIII 2: hi rectores imperatoriae iuventae et, *rarum in societate potentiae*, concordēs, diversa arte ex aequo pollebant. — Denique sententia ei quam restitimus simillima invenitur Hist. I 51: super *avaritiam* et adrogantiam, praecipua *validiorum* vitia, contumacia Gallorum irritati.